



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Venerabilis Patris Thomæ à Jesu ... Opera Omnia

Homini Religioso Et Apostolico Tam Qvo Ad Vitæ Activæ, Qvam Contemplativæ functiones utilissima, Duobus Tomis Comprehensa. In Qvibus Singlari Pietate, Varia Ervditione Clariori Et Breviori Stylo Continentvr Et Explicantvr ...

**Tomás <de Jesus>**

**Coloniæ Agrippinæ, 1684**

Capvt VIII. De peccato proprietatis, paupertatis voto opposito, declaraturque verus sensus prædicti Cap. Non dicatis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38601**

uniuscujusque Religionis statuta, consuetudines, ac praxis recepta.

### CAPVT VIII.

De peccato proprietatis, paupertatis voto opposito, declaraturque verus sensus prædicti Cap. *Non dicatis.*

*In quo consistat proprietas peccatum.*  
**C**ognita voti paupertatis ratione, restat ut de proprietatis vitio illi opposito dicamus, facile enim erit ex cognitione unius oppositi alterius notitiam adipisci. Peccatum igitur proprietatis istud, & in rigore sumptum in eo consistit, ut quis appropriet sibi bona ea, quibus in emissionem voti paupertatis renuntiavit. Unde possessio cujuslibet rei pretio æstimabilis, aut desiderium illius monachum rem proprietatis constituit, ut latius *part. 2.* prosequemur.

Loquimur de proprietate ut includit dominium, & jus quodlibet civile. Nam cum paupertas præ se ferat abdicationem cujuscumque rei pretio æstimabilis, ut ex superioribus constat, nomine *proprietatis* intelligimus appropriationem cujuscumque domini, sive juris civilis; quod pecunie nomine significatur. ut constat ex *l. pecunia, de verb. signif.* ubi sic dicitur: *Pecunia nomine non solum pecunia numerata, sed etiam omnes res tam soli, quam mobiles, & tam corpora, quam jura continentur.* Quodlibet igitur jus civile paupertati repugnat, non minus ac dominium sive proprietatis rei, ut *Cap. 1.* diximus.

*Varia sūt proprietatis species.*  
 Varii sunt actus, sive species proprietatis, cum multiplex & varius sit modus, quo quis potest disponere de aliqua re. Nam potest eam alienare, idque donatione, venditione, testamento, vel aliis viis, aut potest eam permutare, pignori aut deposito tradere, commodare, mutare, aut eam alio modo tradere. Et præterea potest quis in aliqua re comparare jus, eam ab eo, qui donare potest, accipiendi. Ac denique ex rei administratione potest oriri jus, quale habent tutores circa pupillorum bona. Hæc sunt, & alia jura, quæ proprietatem subdividunt, de quibus nos in hac Paupertatis Tractatione sumus dicturi, latiusque ostensuri, tam ratione, quam ipso jure hos omnes actus paupertatis voto contradicere.

Ex his, & ex supradictis licet colligere verum

sensum, veramque interpretationem dicti Cap. *Non dicatis*, in quo si ejus verba attentè considerentur, tria continentur. In priori aperte statuitur vera, & certa conclusio. In 2. prob duplici ratione. In 3. verò elicitur corollarium. In prima igitur parte talis stabilitur concl. *Nullus religiosus potest aliquid habere ut proprium, sed potius omnia bona monasterii debent esse omnibus communia, & distribui unicuique à Pralato juxta ejus necessitatem.* In 2. vero parte additur ratio hujus decisionis, probaturque d. applicet, in illis verb. *Cum nostra Congregationis Fratres &c. usque debere.* Primum igitur principium sive prima ratio in dicto Cap. adducta, quæ fuit proposita conclusio est, quia Religiosi per votum paupertatis propriis facultatibus renuntiarunt, ergo nihil proprii habere possunt. Secundum principium est, quia per votum obedientiæ propria voluntate abdicata se penitus Prælatorum potestati & imperiis pro Christo subdiderunt. Quare cum ex *suprad. Cap. 4. & 5.* annotatis constat, tam per votum paupertatis, quam obedientiæ Religiosos omnem domini ac possessionis capacitatem exuere, rectè colligitur in dicto Cap. eos nihil habere, possidere, dare vel accipere, sine superioris licentia debere. Quasi dicat: tam ratione voti obedientiæ, quam paupertatis Religiosi nihil proprii habere possunt, ac ex consequenti, nec dare, nec accipere aliquid valent sine prædicta licentia. Verba igitur repetamus: *non dicitur vobis aliquid proprium, sed sint omnia communia.* In *tert. verò parte Cap.* quæ incipit ibi: *Quod si propinquus, vel amicus &c.* elicitur consuetudinum, & quasi demonstrat quid consequatur ad votum obedientiæ, & paupertatis, nempe, non solum nihil ut proprium retinere, vel occultè accipere, quod tam à voto obedientiæ, quam paupertatis dimanat, sed insuper omnia, quæ Religioso obveniant, Prælato assignentur, monasterio acquirantur, & in ipsius Prælati sint potestate, ut ipse de illis pro libitu disponat. At ergo Augustinus in hunc modum: *Quod si quis propinquus, vel amicus, aut etiam pater alicui Religioso aliquam vestem, sive quodlibet aliud etiam necessarium contulerit, non occultè accipiatur, sed Priori insinuetur & suscipiatur si ipse mandaverit, ac præterea sit in potestate Prælati, ut in rem communem reddatum, cui necessarium fuerit, præbeat, aut fiat quod Priori placuerit. Unde si quis rem sibi collatam celaverit, tanquam fur erit judicandus.*

Hæc sunt, quæ in nostro textu voluit Augustinus: oportet tamen, ut singula discutiamus: quod congruentius fiet in sequentibus.